

TÆNARVM  
ARIONIS  
BENEVOLENTIA DELPHINIS.

In Strabonem, Plinium, & Solinum,  
geographos.

*Pro seculari memoria*

solennissimæ legationis

Imperii, A. MDXIX. die Andreae,  
30. Novembr.

ad Carolum V. electum

imperatorem,

in Molino regis prope Barcinonam,

*Bernharo Wurmserio, Icto, pro*  
Imperio,

*Mercurino Albonensi de Gattinaria,*

Cancellario, pro Carolo, oratoribus,

*gravissimis pulcherrimisque sermonibus,*

bonarum literarum florentium documentis.

*Recolente*

A. MDCCXIX, mense Decembri

HERMANNO von der Gardt/

Acad. Jul. Sen. & Præpos. Mariæb.

Helmstadi, Typis SALOMONIS SCHNORRII.

29.

a. XCVII. 29.

Coll. diss. A  
47, 29

*Tenarum Arionis benevolentia delphinis.*

Cap. I. In Strabonem.



Laudere hunc annum juvabit in portu *Tenari Laconici*, ad quod *promontorium* expositus a delphine Arion citharædus, postquam ex undis maris enataverat. Tres salutabimus veteres geographos, *Strabonem, Plinium & Solinum*, qui delphinis operam commendent, qui musicæ dulcedine delinitus Arionem tergo exceptum salvum in *Tænaro* exposuerit.

*Strabo, lib. 13. f. 618.* cum ageret de insula *Lesbo*, in enumeratione oppidorum, perveniens ad *Methymnam*, subjungit: *Ἐντεῦθεν δὲ ἦν Ἀρίων, ὁ ὄπι τῷ δελφίνι, μυθεύομεν ὑπὸ τῶν περὶ Ἡρόδοτον εἰς ταίναρον σωθῆναι, καὶ ποντωθεῖς ὑπὸ τῶν ληστῶν. ἔστι μὲν ἦν κιθαρῳδὸς, Ἥα patria fuit Arionis, ejus quem Herodotus delphino veelum in *Tenarum* evasisse fabulatur, cum a prædonibus esset in mare abjectus. Atque hic citharædus fuit.*

Strabonis institutum præclarum, historiam cum geographia combinandi, ne hæc sterilitate sua negligeretur, fecunditate placeret. Verum, quam sedulus Strabo in geographia & quam plerumque felix & curatus, tam in historia persæpe infelix & minus attentus. Cum enim veteres historias recensiturus ex mythis illas repetere necessum habebat, non potuit non falli plerumque, qui poeticorum ex vetustis seculis mythorum expers erat. In topographicis fidem habet, sed in vetusta historia ex mythis illam perdidit. Quod uti alibi exemplis jam ostendimus, ita posthac in plerisque mythis illustrandis demonstrabimus uberius. Idem contigit in Arionis historia. *Methymna*, inquit, *patria Arionis*. Vere, *Arionis Methymnae*. Ast Arionum non unus. Veterum poetarum *Arion* ex temporibus deorum, cum filius esset *Cereris & Neptuni*, illeque *Arcas*, quem tempore *Inus & Athamantis* floruisse dixit nuper *Plutarchus*, adeoque ante tempora *Homeri*, qui in historia *Ulyssis* meminit, quod *Ino, dea marina* jam dudum facta, sub mergi figura, *Ulyssi* consilium dederit & cingulum, quo in fluctibus maris uteretur. *Arcas* itaque ille *Arion* non fuit *Methymnæus*, *Peloponnesiacus* non *Lesbius*.

Falsus igitur *Strabo*, quando illum *Arionem* ex *Methymna* protrudit, qui delphine in undis maris vectus fertur. *Methymnæus* hic multis seculis illo posterior, tempore *Periandri* ex musica nomen habuit. Neque juvat nomen citharædi, quod *Arioni* fuit utrique. Nam prior ille, *Arcas*, citharædi nomen tulit non ex arte sed ex symbolo, cum

non



non vir esset unave persona, sed gens totusque cœtus: Posterior ex arte, quam exerceret vir, qui ex cithara Periandro familiaris, cum prior Periandrum viderit nunquam.

Quando proinde Strabo Arionem circumscribit, *qui delphine sit vehens*, quasi is fuerit Methymnæus ille, temere sequitur opinionem vulgi & traditionis umbram recentiore. Cui non incidit, diversos fuisse Ariones, Arcadem unum, ex veteri ævo, Methymnæum alterum, recentiore. Non potuit distinguere diversos ejusdem nominis, qui nescivit duos. Confudit cum populo distinctos valde & longa ætate genereque vitæ secretos.

Crediditque, *delphinem* monstri marini hic esse insigne, cui fuit ignota mythi ratio occulta, cui in delphinis symbolo sunt Delphinii, Bœotici cives. Non pervidit, quid poetis esset, Arionem delphine vehi, cui non nisi delphin in fluctibus maris in oculis & mente: Non sensit scopum, Delphinos humaniter excepisse Arcades hospites, Arionis nomine in Bœotiam venientes.

Videbitur *Herodoti* fides excusare credulitatem Strabonis cum illum traditionis allegat autorem. Veruntamen nec Herodoto in his fides, ut suo monstravimus loco. Credidit & ille populo canenti, quod non penetravit, qui mythos veterum inspicere non didicerat.

Credi tamen poterat, Straboni aliquid suboluisse figuræ in Herodoti relatione, quia diserte verbi *μυθεύεσθαι* meminit, quod vulgo dicunt *fabulari*. Non quod Strabo existimaret, relationem plane esse falsam, *fabulam*, nostro hodie ore: Sed quod Herodotus mythicum quid retulerit, quod sapiat quid mysterii, quod nec Herodoto nec Straboni perspectum. Qualia *μυθολογούμενα* agnoscit Strabo in Homero & aliis. Hoc adeo caractere non falsus Strabo, etsi non caperet, quid in symbolo esset reconditum, in delphine præsertim integrum hominum cœtum, delphiniorum, federe.

Arionem *in Tanaro* a delphine expositum esse refert, non intelligens traditionis penetralia; non animadvertens, externum poëtarum scenam sistere *promontorium Tanerum*, quod non nisi imago alterius in Bœotia loci, *campi Tenerii*, quorsum Arcades isti per Delphinos deducti, pro coloniarum sede.

*Apiratis* in mare præcipitatum ait, confidentius justo, cum a nautis id factum esse accepisset. Uti traditionis sunt fata, ut ab his hoc, ab illis alio habitu aut modo referatur, ita & hæc relatio variat in modo, Arionis in mare prolapsi. Hi illum sponte in mare profiliisse ajunt, isti vi compulsum præcipitatum. Quanquam Strabonis vox, *καταποντωθεῖς, in mare*

*projectus*, possit moraliter accipi, quod vel iussus fuerit se præcipitare, vel quod ut illorum scopum anteverteret semet sponte projecit saltu. Quod posterius historiæ magis congruit. Interea Strabo non vidit, neq; mare hic fugere, neq; nautas machinari cædem, neq; Arionem in undas profiliisse proprie: Cum de Bœotia sit sermo, quæ poetis pro mari, quorum Arcades illi se proripuerunt, ut evaderent inimicorum manus.

*Citharædum* hunc postremo appellat, quem Methymnæum dixerat, qui artem hanc professus erat. Neque vero prioris & longe antiquioris Arionis citharædi memor Strabo, qui citharædus quidem vocatus, sed pro symbolo, non extitit factus.

Tanti est, Strabonem in historiis commemorandis inspicere intimius, ne spectata illius in geographicis autoritas fallat historicum. Situm *Tanari Laconici* descripsit multis *lib. 8 f. 362. sq.* & *Tenerici campi*, juxta Acræphii urbem ad lacum Copaidem, in sinu Bœotia, *lib. 9. f. 412. & 413.*

### Cap. II. In Plinium.

**H**ic *lib. 9. cap. 8.* prolixè admodum de delphinibus, eorumque natura & vel artibus vel moribus, imprimis in musicam affectu propensissimo. Hoc quoddam quasi animi genus illustraturus, recenset historias quibus dicti delphines amasse homines, illis portandis se exponentes. Unde & in *Arionis* traditionem delabitur, dicens: *Quæ faciunt, ut credatur, Arionem quoque citharædicæ artis, interficere nautis in mari parantibus, ad intercipiendos ejus questus, eblanditum, ut prius caneret cithara; Congregatis cantu delphinis, cum se jecisset in mare, exceptum ab uno, Tanarum in littus provectum.*

Deprehensus jam tum ab aliis plus æquo credulus Plinius, qui mirabiles majorum traditiones crasse plerumque admiserit. Sane, frequens est in mythis veterum adsciscendis, sed in illis examinandis perquam rarus. Neque superare potuit communem seculi illius sortem, quo poetarum monumenta quoad eorum scopum penetrare non contigit, nisi poetis ipsis, iisque sane nec omnibus. Visum fuerat Plinio, ex laudata delphinum humanitate quadam, certe in homines benevolentia, fidem quandam mereri Arionis rem insolitam.

Nihilominus Plinius non nihil credi possit hæsitasse, cui res apparuerit nimis insolens. Quare addit: *Quæ faciunt ut credatur.* Non suam fidem allegat, nec tamen negat: his promptioribus, illis magis hæsitabundis.

Arionem nude vocat *citharædicæ artis* peritum, non definiens, quem indicet, veterem illum Arcadem, an recentiorem methymnæum. Verosimile tamen, quod traditionem vulgo receptam sit secutus, quæ *Methymnæum*

☼ ☼    |    ☼ ☼

thymnæum ostendet: Non aperte, cum nullum nominet, tecte tamen, duos confundens. *Citharædica* proinde *ars*, hic Plinio laudata pro opinione vulgata, verum musicæ studium, quo Arion inclaruerit, cum Methymnæum respiciat, populi nutu. Alias vetus Arion citharædus non tinnitu citharæ, sed consilio sociorum Corinthiorum: Quam musicam harmoniam non attendit Plinius. *Nautarum insidia*, ad Arionis necē, Plinio vera vitæ discrimina a nautis parata. Nautæ vero non nisi symbolum iter facientium per Bœotiam; cuius non meminit Plinius, styli veterum in mythis poëtarum non expertus. Et insidiæ non tam uni viro, quam integro cœtui aut genti vel coloniæ migranti structæ, pro illa societate dissolvenda. Colonia namque mori dicitur, cum finem habet, solutis quocunque modo membris: Uti & urbes moriuntur & regna, viribus fractis. Cædes itaque hæc intentata, non physico motu, sed morali scopo, ut illa hominum Arcadum turba dissiparetur ac dissociaretur, sine ullius etiam sanguine, his huc, istis illuc vel commeantibus vel confugientibus.

*Arionis questus interceptiendos* memorat Plinius, iterum juxta traditionem, quasi arte musica nummorum quid collegisset: Omnia pro externa scena poëtarum. Neque obvium fuit Plinio non virum fuisse Arionem, sed viros, sed & feminas, sed & senes & pueros, dominos & servos, totam quippe coloniæ. Non viri igitur opes, sed totius illius populi facultates intentæ. Illæ vero pro vetustis seculis non tam auri argenteive aut nummorum, quam gregum & servorum res familiaris & quædam copia.

*Eblanditus* Arion fertur hanc gratiam, ut liceret canere postremo. Non cantus proprie, sed pro symbolo concentus coloniæ & consensus instruendus, de itinere alio suscipiendo, corpore non soluto sed fortius adunato. Blanditiæ aut blandæ preces coloniæ, cui indulgeretur morula in præsentis vitæ discrimine.

*Congregati cantu Arionis delphini*, pro communi opinione, delphinos delectari ac illici musica. Non innotuit Plinio, delphinos hic non esse in mytho monstra marina nisi pro symbolo, cum effigientur illis populi Bœotorum Delphini. Hi Bœoti delectati musica, pro mythico stylo, homines perhumani in hospites, benevoli, societatis amantes.

*Delphines congregati*, pro scena externa ex mente veterum, latente symbolo, quando Delphini quidam convenerunt, in Bœotiæ ditione, qui hos Arcades ex Corinthiis aliquibus compositos non repellerent & finibus suis arcerent, sed humaniter habitos in societatem admitterent. Quam delphiniæ congregationem non spectavit Plinius,

cujus oculi non nisi in undis & marinis beluis, cui veterum poetarum canendi rario & verus citharæ sonus non innotuerat.

*Arion in mare se jecit*, Plinio asseverante; non saltu e navi, sed itinere in Bœotiam terrestri. Non navis nisi in theatri umbra, in symboli fluctibus, quos penetrare Plinio negatum.

In mare præceps factus Arion *exceptus ab uno* aliquo delphino, pro traditionis majori fide, cum multis his monstris simul insidere non posset. Neque vero symboli scopus, nisi delphiniorum Bœotorum cætus, qui Arcadum coloniam benigne suscepit, quod non persensit Plinius.

*In littus Tanarum provectus* Arion a delphine illo, reliquo cætu comitante & assultante aut choreas ducente, ut ludunt alii. Et hoc littus, promontorium Laconicum, nuper ex Æliano illustratum, pro specie externa; *Teneri campo* in Bœotia subintellecto.

Plinio fabula nota, vera fabula & inanis, pro sola externa apparente scena: Sed ignota fabula, aut vera latens historia, pro symboli conditione & natura. Et Plinii historiae lectorem poscunt vetustatis remotæ consciium & sermonis ac figurarum in poetis haud expertem.

### Cap. III. In Solinum.

**E**T hic, *Polyhistoris c. 13. f. 34.* In Laconia spiraculum est Tanaron: Et Tanaron est promontorium adversum Africa, in quo fanum est Methymnæi Arionis, quem delphine eo advectum imago testis est, ad effigiem casus & veri operis expressa ære, præterea tempus signatum. Olympiade enim undetricesima, qua in certamine Siculo idem Arion victor scribitur, id ipsum gestum probatur. Est & oppidum Tanaron nobili vetustate.

Solinus alias Plinii graculus hic habet alia, Plinio non memorata. In Tænaro Laconico, in promontorio, Neptuni fanum esse notavit Strabo, l. 8. f. 363. *Εν τῷ κόλπῳ τῆς Ὠκεανίας τὸ μὲν Τάιναρρον, ἀκτὴ δὲ τῆς ἐκκειμένης, τὸ ἱερὸν ἔχουσα τῆς Ποσειδῶνος, ἐν ἄλσει ἰδρυμένον.* In ora maritime sinu Tanarum est, littus in mare porrectum, quod continet Neptuni fanum, in luco situm. Plinio major fides quam Solino. Et hac quidem ratione: Quod diis templa aut fana suscitarent, non hominibus: Neque alibi unquam fanum Arionis methymnæi compareat. Memoria lapsus videbitur Solinus. Certe error non obscurus. Statuæ Arionis in diversis græciæ locis, non fana. Accedit quod in hymno, ab Æliano laudato, a nobis novissime recensito, Arion Neptuno gratias agat. In Neptuni proinde fano Arionis simulacrum positum fuerit. Quod si ibi fuisset Arionis quoddam fanum, certe non fuisset methymnæi Arionis, recentioris citharædi, citra dubium non dei sed hominis Lesbii, quod insolitum.

In

In fano *imago Arionis Methymnai*, Solini fide, aut populari traditione, quam ille secutus. Neque vel in *inscriptione* ibi existente in monumento Arionis, apud Ælium, vel vestigium *Methymnai*: Neque in longiori *hymno* vel vocula, quæ in *Methymnæum* respiciat: De quibus suo jam pridem loco. Falsus igitur & hic Solinus. Conditor tum monumenti, tum hymni, peritior uterque in veterem Arionem composuit univèrsa.

*Imago Arionis*, veteris puta, ibi collocata; ut hominum multorum singulari fato aut grandi facinore pro reipublicæ salute inclytorum, imagines in multis deorum fanis erectæ, quarum exempla innumera apud Herodotum & Pausaniam.

Sed quod addit Solinus, hanc imaginem testari, quod Arion a delphine eo vêtus sit, non capiendum nisi externo symbolo. Symbolum vero foris locum sistit, qui in re plane alius est, illo effigiatus ac subindicatus. Templum Neptuni Arionis simulacro ornatum, quia externa traditio illuc a delphine deportatum esse cantavit. Symboli species externa ibi sistit Arionem, designat aut submonstrat locum plane alium alterius terræ, puta Bœotix. Uti enim poëtæ personas loquentium mutant, ita & loca, ubi quid actum sit. Solinus fuit persuasus ibi rem Arionis revera accidisse, quod collegit ex imagine Arionis ibi existente, qui delphini insideat. Quod argumentum, uti jam dictum, nullum est: Cum imago illa referat non nisi traditionis externam faciem. Posteritas vero, sine consulto, sine ex imperitia, statuas & imagines sine numero cœpit ponere juxta externum traditionum sonum, sine cura symboli adeoque latentis veri loci. Secutus adeo & hic Solinus populum, tum in opinione de vero illo Arionis facto & fato sine symbolo, tum in modo probandi, illum casum Arionis ibi præcise evenisse ob statuæ talis præsentiam. Quæ sunt plebis argumenta.

*Imago illa expressa* dicitur ad effigiem casus & veri operis. Quod Solinus intellexit juxta externum traditionis sonum, non juxta sub symbolo latentem scopum & sensum. *Effigies casus & veri operis*, est, facies rerum, quæ isto in loco vere evenierint. Qua effigie egregie iterum deceptus Solinus, cum popello, qui symbolorum ignarus hæret in sensuum objectis externis, cui poëtarum veterum genius & stylus non est perspectus.

Alioquin recte dici poterat, esse illud monumentum Arionis *imagine casus & veri operis*, intellige, pro symboli significatione & veterum autorum intentione. *Imago casus*, symbolum vel effigies Arionis, sive colonix Arcadix, in Bœotiam digressæ & a Delphiniis amice exceptæ, adeoque *veri operis*, veræ historix in Bœotia gestæ. Sed Solini hæc mens non fuit, cui crasse cuncta admixta, sine symboli intuitu aut memoria.

*Ære expressa* Arionis imago, non Methymnæi, sed veteris Arcadis; viri citharædi imago externe, symbolum veteris colonix Arionæ; adeoque totius populi.

*Tempus ait signatum* esse casus & veri operis, Methymnæi Arionis ibi per delphinem depositi. Quod videri queat argumentum validum & invictum rei ita gestæ. Sed ubi tempus signatum sit non memorat Solinus. Certe non in monumenti *inscriptione*, quam nuper ex Æliano produximus, in qua nulla anni mentio. Multo minus in *hymno*, in quo nec vola nec vestigium anni. Nisi quis velit fingere, Ælium non integram dedisse inscriptionem, vel totum hymnum: Quod probandum esset, & Solinus monuisset.

Alibi igitur Solino vitus fuerit deprehensus character anni, quo fatum illud portentosum ac prodigiosum evenit in Tanaro: Sed ubi, & qualis? *Olympiade*, inquit, *undetrigesima*, qua in certamine Siculo idem Arion victor scribitur, id ipsum probatur. Quam lepida probatio! Arion Methymnæus, ait, Olympiade 29, victor evasit

vasit in certamine Siculo, Ergo tunc historia illa evenit in Tænaro, ut ibi exponeretur per delphinem. Primo, esto, illo anno Arionem Methymnæum certasse & vicisse cithara in Sicilia: ergone ante illud certamen fatum istud illi evenit in mari, ut eiceretur a nautis & servaretur a delphine in Tænaro expositus? Quod non quadrat, quando nullum vestigium, e Sicilia illum navi redire constituisse Corinthum; sed Tarento rediit: Quæ loca longe a se invicem distita. Non ergo post illam victoriam illi in mari evenit ille Arionius casus. Num forte post illud certamen & victoriam eodem anno ex Sicilia abiit Tarentum, ut inde solventi illi id acciderit? Neque hoc succedit: Quia monumenta talia non vivis poni solita, ob honorem grandem, vivis majorem, sed defunctis. Quod si dixerit, post casum illum marinum, cum Tarento rediisset Corinthum, reversum esse in Italiam, & in Sicilia in certamine vicisse: Nemo sit tam pronus in fidem, ut credat, citharædum, jam jam ex Italia reducem, a nautis spoliatum, & tam insolito casu servatum, ausurum de novo ire in Italiam, eadem subire aut expectare pericula, dubio profecto eventu simili. Non itaque ulla veri similitudo, monumentum illo tempore positum esse, in Arionem Methymnæum, quo inter Siculos hic victor evaserat.

*Josephus Scaliger in Animadversionibus in Eusebii chron. f. 79. c. 1. Solino applaudit, refertque factum ad annum primum Olympiadis 29. Eius tempus ignorari non patitur annus primus Olympiadis 29. qui notatus erat in regestis victorum Siculorum. Verum & Scaligero responderetur, illud tempus fuerit victoriæ in musico certamine Arionis Methymnæi, neque inde sequitur & vecturam Arionis per mare in delphinis tergo tunc contigisse, multo minus monumentum illud in Tænaro tunc fuisse positum.*

Eusebius Arionis Methymnæi res retulerat in chronico, lib. poster. f. 323. ad Olympiadem 40. Verum Scaliger illum parachronismi accusans ex Solino eum corrigit. Sed hæc emendatio non facit nisi pro Arionis Methymnensis ætate definienda, ad Arionis alterius casum nulla ratione pertinet. Victor fuerit Methymnæus Arion illo periandri ævo: Vectus delphine Arion Arcas multis seculis ante; quin imo, si vel positum esset monumentum in Tænaro tempore victoriæ Arionis Methymnæi, non inde sequeretur, Arionem illum in effigie, dein & hymno, absolute dictum, esse Methymnæum illum, & sic porro Methymnæum illum in mari vectum esse delphine. Falsus Solinus hoc argumento, ex eo, quod veterem Arionem Arcadem non discreverit a recentiori Lesbio.

Nec Solinus adeo cautior Plinio & Strabone, in vetustis historiis advehendis, neque illorum autoritate nitendum, qui veterum tradita ex sono æstimarunt, non sensu & scopo.

Tenerrima humanitate facta tecta. *WV*

*Τὸ Φιλάνθρωπον θεοφιλέστατον.*

Ser. in Academ. Jul. d. 13. Dec.  
A. MDCCXIX.

*Quin age, si quid habes; In me mora non erit ulla:  
Nec quemquam fugio: Tantum, vicine Palemon,  
Sensibus hæc imis, res est non parva, reponas.  
Nec minus ex imbrī soles & aperta serena  
Prospicere, & certis poteris cognoscere signis.*

*Coll. diss. A. 47, misc. 29*